



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XLIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

raro sincera , quando tunc de peccatis dolemus ,  
 cum nos peccata, velimus nolimus deserunt; & do-  
 lere de iis noluimus , cum peccata deserere potui-  
 mus. Tali inquit D. Ambros. pœnitentiam pro-  
 mittare ut possim , veniam promittere non possum . Et  
 D. August. Ser. 71. ad fratres in erem; Satis alienus  
*est à fide, qui ad agendam pœnitentiam, tempus sene-*  
*ctutis expectat.* Subjiciamus igitur nos sub potenti  
 manu Dei , amplectamur benignissimum mortis  
 variæ adeoque immaturæ decretum ; et si sapimus ,  
 quotidie mortem expectemus , ut quotidie parati ,  
 salutem facilius consequi possimus.



## MODUS XLIV.

**N**Arratorius sive Historicus, cum nimirum res  
 gestæ alicujus, continua narratione explican-  
 tur: singulis aut pluribus punctis & circumstan-  
 tiis rerum insistendo, eas explicando, exaggeran-  
 do, & congruis doctrinæ ac affectibus amplifican-  
 do, uti eo possumus potissimum in narratione Pa-  
 sionis servatoris nostri, in Historia Nativitatis,  
 Resurrectionis, Ascensionis; itemque festis alio-  
 rum Sanctorum, in quibus res piè ab illis gestæ,  
 memoriâ Ecclesiæ celebrantur. In iis etiam solen-  
 nitatibus, quæ, piæ meditationi , ex conformitate  
 rationabili factorum plura suggerunt , quam de  
 iis , in scriptura habeatur. Hac ratione in  
 assuni-

assumptione B. VIRGINIS MARIAE posses prosequi genus Mortis illius , quod Angelis circumstantibus, quod filio præsente, quod toto cælo effuso Spiritum tradiderit : tum prosequi, quomodo anima ejus beatissima corpori restituta, quomodo cum eodem è tumulo educta, quomodo virgo elevata in aëra , cincta sanctorum millibus , à vita ad Deithronum, ibidem coronata. Exemplum dare hujusmodi perfectum, nimis longum est. Suggestatur igitur quam brevissimè ad impetum Tyronum.

## P R A X I S.

## In Ascensione Domini N. JESU CHRISTI.

*Et quidem D. Jesus postquam locutus est eis assumptus est in Cælum. Marc. 16,*

**A**cceſſus & propositio. Abiit à nobis Magister noster, abiit Dux, abiit Parens noster, sequamur ergo abeuntem, mentis passibus : quem corporis pedibus, sequi non possumus.

## Confirmatio

*Ex narrata historia Ascensionis, insistendo ejus punctis.*

Quo ergo primum passum movebimus ? Extra civitatem progredi necesse est. Extra illam enim, discipuli à Domino ascensuro avocati. Eheu infelix civitas , quam jam Christus linquit ? Fuit tempus,

pus cum veluti gallina congregans pullos suos obiret te, & congregaret filios tuos, jam nunc vale, & quem projecisti extra portam cum cruce, eodem careas glorioso. Adjudicando innocentem crucis, abjudicasti te ejus Regno, cuius quemadmodum æternum inops eris, itaque neque nunc, gloriam prægustabis. Extra civitatem, Jesus ascensum abiit, & in Montem Oliveti abiit? Montem utique vicinum horto Gethsemani, & oppositum durissimæ Calvariaz. Scilicet, contraria contrariis opposita, magis elucescunt, hinc signa victoriae, monumentis opponuntur passionis. Dilcite Mortales ubi vestra gaudia vestros agere debeat triumphos. Non dum gaudia vestra spectantur, non possunt ostendilabores: si dum gloria monstratur, non possunt numerari merita, vanis gaudiis diffuditis, decipimini laetitia. Per angusta ad augusta itur, & nunquam latior triumphat virtus, quam in memoria, adeoq; aspectu exantlatorum laborum. Sed quid, quod post 40. dies, diem triumphi sui destinavit? salutaris hic est hominibus numerus. Quadraginta annis Israeli proximus fuit. Post quadraginta dies, Moysi tabulae legis datae, pro quadraginta dierum itinere; Elias cibo roboratus. Majora etiam his D. August. 17. in Joannem suggestum cum sic ait. In hoc ergo seculo quasi quadragesimam abstinentiam celebramus: cum beatè vivimus, cum ab iniuriantibus & ab illatis voluptatibus abstinemus; sed quia hæc abstinentia, sine mercede non erit, expectamus beatam illum spem, & revelationem gloriae Magni Dei & Salvatoris nostri JESU Christi. Quid metuis Christiane

Stiane athleta? quid labores fugis? aude & post  
brevem quadragesimam mercedem copiosissimam  
& nunquam defecturam spera. Hoc & mons oliva-  
rum, & vestigia lapidi impressa significant. Auspice  
virtute Christoque Duce, nihil non superabis.  
Mollescent etiam laxa, ab ejus imitatione, dura ca-  
dant, petrofa fidentur. Audis Christum invitantem.  
Matt.11. *Discite a me, quia mitis sum & humilis cor-  
de, & dicis durum est, petra est.* Audis dicentem.  
Mat.16 *Qui vult venire post me, tollat crucem suam  
& sequatur me, & iterum dicis: durum est, petra est.*  
Ah! sit sane petra! sed petra, à Christi exemplo e-  
mollita est. Vide pedum sacro sancta signa, pas-  
suum vestigia, exemplorum documenta, & talitem  
amodò, dic, quod optimè dixit, si pariter efficit;  
Seneca in Epist. lib. 4. ep. 21. *subfilire in cælum, ex  
angulo licet. Exurge modo: & te quoque dignum, fin-  
ge Deo.* Licet equidem licet, ac nimium quoque  
par est, suspirare ad illam meridiem quam meti-  
diano ascensus tempore, designavit, & per D. Berna-  
ardi suspiria nobis judicavit. Sic enim sanctus ille  
Abbas, orbi auditori, Ser. 33. in cant. inclamat. O  
verè meridies! plenitudo lucis & fervoris, solis statio,  
umbrarum exterminatio, desiccatio paludū: fatorum  
depulsio; O perenne solatium! quando jam non in-  
clinabitur dies, & lumen meridianum? O vernalis  
temperies! O astiva venustas! O autumnalis uber-  
itas? & ne quid videoas præteruisse, quies & feratio  
hyemalis. O quot, in hac diei luce, cælestia simul  
effulgere lumina, quod desidereis palatiis obviam  
processere agmina, quis undique cinxit comita-  
tus!

tus! Viderunt ingressus tuos Deus Psal. 67. ingressus  
 Dei mei Regis mei qui est in sancto. Prævenerunt  
 Principes conuncti psallentibus in medio juvencula-  
 rum sympanistriarum. Ibi Benjamin adolescentulus,  
 in mentis excessu. Principes Iuda, Duces eorum.  
 Principes Zabulon, Principes Neptali. Ejus fratres,  
 jungamur gaudiis! sed ut his jungi digne possimus,  
 primum, jungamur, meritis. Ad gaudia tamen cer-  
 te invitat, qui ascendens super omnes Cælos, e-  
 dicit: *vado parare vobis locum.* Joan. 14. unde Pau-  
 lus ad Hebr. c. 6. Præcursor introivit Jesus, Tertull.  
 de fuga in perfecu: *Apud inferos emancipatio nostra*  
*est, & stipulatio nostra in cœlis.* Sublatæ sunt portæ  
 sempiternæ ut introiret Rex gloriae. Dominus virtu-  
 tum hominem de terris, imo ab inferis, mercatus in  
 cælos. Et contra Gnost. Scito, & ascensum illum exin-  
 de complanatum vestigiis Domini; & introitum, ex-  
 inde referatum, viribus Christi; nec ullam moram  
 aut questionem in limine occursuram Christianis, qui  
 non dignosci habent illic, sed agnoscit: nec interrogari,  
 sed admitti. Nam et si adhuc putas clausum calum,  
 memento claves ejus, hic Dominum Petro, & per eum  
 Ecclesiæ reliquisse. Est cur gaudeamus, est cur cum  
 D. Leon. Ser. 1. de assumptione: lætantes proclame-  
 mus. *Quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur &*  
*corporis aut cum August.* Serm. 176. *Nos Christi*  
*mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio*  
*consecravit.* In illo nostræ originis corpore, cæle-  
 stibus Regnis, arrham nostræ conditio-  
 nis imposuit.

MODUS